



Freiherr v. Ende-Schlossnitz.

H. v. Barf. 1611

35

Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XXI. & XXII.

De

PROTESTANTIUM STATU, ET
DE JURE EMIGRANDI,

Cum adjuncta Qvæstione

*An Philosophia communis tam Peri-
patetica quam Cartesiana Dogmatica
sit an Sceptica?*

Publicè ventilabunt

Die XXVI. Octobris M DC XCIII, horis antemer. à X. ad
XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

G O T T F R I E D Schaeuerer/
Servesṭā Anhaltinus.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.





QVÆRO XI.

An Philosophia communis tam Peripatetica qvam Cartesiana Dogmatica est, an Sceptica?

Videtur plus qvam Sceptica.

§. I.

Deripateticus. Spero hactenus te satis percepisse doctrinam de Prædicabilibus, jam ad alia in lectionibus nostris Logicis pergendum. Discipulus. Ignosce Præceptor, qvod, anteqvam ad ulteriora progrediari, qvædam exte qværam. P. Qvære liberè, erit gratissimum. D. Quid est Philosophia Sceptica & Dogmatica, & qvomodo, hæc duo genera Philosophandi à se invicem differunt? P. Cur ista qværis? Sapè monui, qvod non debeas in Sectis aliis curiosus esse, aliàs non magnos progressus facies in unicâ verâ Philosophiâ, qvam doceo. Dicam tamen. Philosophi Dogmatici dicuntur, qvi aliquid affirmant vel negant, & verum aliquid esse, idque ab hominibus inveniri posse, afferunt. Sceptici contra de omnibus rebus dubitant, & nihil verum esse, aut si aliquid verum sit, id ta men ab hominibus inveniri non posse putant. Sunt vero Sceptici duplices generis, alii Academicci, qvi veritatem qvidem dari sed non inveniri posse dicebant, & hanc solam propositionem pro certò verâ venditabant, nihil esse certum, seu nihil sciri; alii Pyrrhonii seu Sceptici strictè dicti, qvi & verum non inveniri posse dicebant, & an aliquid verum sit, hæsitabant, nec iltud certum esse dicebant, qvod nihil sciatur. Dogmatici contra in varias sectas distribuuntur, qvas inter eminuerunt olim illæ qvatuor, Platonica, Stoica, Epicurea, Aristotelica, hodiè vero sola præ reliquis merito

rito suo fulget Aristotelica tanquam inter stellas Luna minores. D. Adhuc unum lubentissime quererem, si id cum pace Tua fieri possit: *An Aristotelica Philosophia, & quidem illa quae hodie in Academiis docetur, Sceptica sit an Dogmatica?* P. Qualis haec est quæstio? Jure Consulti quæstiones ejusmodi vocant quæstiones Dominicianas. Qvis ita absurdus esset, ut Aristotelicam Philosophiam haberet pro Scepticâ, quæ tot egregias Disputationes suppeditavit contrâ Scepticos, quæ tantâ cum constantiâ Dogmata sua defendit, & pro veritate doctrinæ suæ & refutandis adversariorum doctrinis nihil non suscipit?

S. II.

D. Nec ego contradico. Sed audivi tamen hominem, qui heri in conversatione familiarii, serio defendere volebat, Aristotelicam Philosophiam quæ in Academiis docetur, plusquam Scepticam esse, quia Sceptici pugnaverint saltem adversus alios, imo non tam impugnaverint alios, quam contrâ eorum insultum se defenderint, ipsi vero permiserint quemlibet opinione suâ frui, & eos certè quide sectâ eorum erant non insectati fuerint. Sceptici item inserviebant hypothesi, & cum disputabant, regulariter conclusiones eorum primis eorum principiis, aut accuratius primis eorum dubitationibus cohærebant. At Aristotelicam Philosophiam, dicebat impugnare non saltem alias sectas, sed & ipsam iterum in varias sectas pessimò more inter se litigantes secerni. Scholasticam, videlicet, & Libere philosophantem, (si modo Philosophia simul libera esse possit & sectaria,) Nominalem, Realem, Thomisticam, Scotisticam, Albertisticam &c. Adhac id maximè miserandum esse in Philosophia Aristotelica, quod fundamenta habeat Philosophiæ Scepticæ simillima, & his tamen fundamentis superadficet dogmata, quæ ratione longe peior connexio sit in Philosophia Aristotelicâ, quam in Scepticâ.

S. III.

P. Ex Discursu tuo facile divinari possum, quis sit autor hujus calumniæ. Qvis aliud esset quam iste novator, qui sub larvâ Philosophi Eclectici est ipse periculosisimus Scepticus. Quoties te monui, ô dilecte, ut tibi ab occulto veneno istius hominis caveres! Nil nisi apertissimæ calumniæ sunt, quas effutiit, & possem

sem in iis refutandis centum rationes afferre, si dignæ essent ut refutentur. Talia enim narrando, aut audiendo saltem solidissimè jam refutata sunt. Habent hoc omnes Sectæ, ut iterum nova Schismata facta sint ab iis, qui genuinam semitam deseruerunt, & pugnandum est pro veritate, quicquid etiam dicant errorum patroni, qui libertatem aliquam philosophandi ineptiis istis introducere satagunt. Et quæso quam apertissima injuria est, asserere Philosophiam Aristotelicam habere fundamenta Philosophiæ Scepticæ simillima. Necesse est, ut omnem pudorem ejuraverit homo nequissimus, qui contra veritatem evidentissimam talia profert. Quid? Logica nostra, instrumentum istud instrumentorum, quo mediante semper prostravimus Scepticos, Cartesianos, Gassendistas, Spinozistas, Hobbesianos & omnes quoque in Theologiâ adversarios, Logica inquam hæc Sceptica esset? Logica quæ in ipsa statim definitione pro dogmate primario, quod Logica sit ars, non habitus, pugnat, hæc Logica esset fundamentum Philosophiæ Scepticæ simile? O Corydon Corydon!

§. IV

D. Quæso ne irascaris. Nam quæ sequuntur Logicam nostram tangunt proprius. Vel video enim dixit, Philosophiam Aristotelicam esse plusquam Scepticam, quia disciplinas Dogmaticas superadficarent Logicæ plusquam Scepticæ, quæ non doceret, quomodo quis consequi deberet veritatem, imo quæ de eâ apertere desperaret. P. Quantæ injuriæ! Sed perge, D. Atque hanc assertionem ita se monstrare posse dixit. Non urgere se velle, quam incerta apud vos sint omnia in Logicis, & quantæ Disputationes per singula Logices vestræ capitula in utramque partem ventilentur; se saltem assumere velle ea, quæ ferè unanimi consensu doceantur à Vobis. Communiter ventilari Syllogismum pro medio inveniendi veritatem. At Syllogismo veritatem inveniri non posse. Sive enim Syllogismum consideres formaliter bonum, quem solum Logica vestra doceat, eum posse conflari ex propositionibus falsissimis, sive etiam materialiter bonum, hunc non posse extrui, si non quis habeat quæstionem & medium terminum. At vero hoc pacto veritatem haberi ante Syllogismum, non per Syllogismum investigari, Deinde, ait, Veritatem in commun-

munibus Libellis Logicis dici esse finem Logices externum, finem externum vero definiri, quod sit talis finis, qui sit extrâ potestatem Artificis. Et itaque Veritatis inventionem ex mente vestrâ non esse in potestate Logici, hoc est, Philosophum per Logicam non posse invenire veritatem. Nec diffiteor Domine, valde me constringisse has rationes, ultimam potissimum. Quid si enim eam huic Syllogismo includerem:

Ovæc. Philosophia ventilatur pro Dogmatica, & nullum suppeditat instrumentum veritatem inveniendi, imò qvæ in eâ disciplinâ, qvæ veritatis inventionem se docere profitetur, fatetur inventionem veritatis esse extrâ potestatem illius disciplinæ; illa Philosophia est plus qvam Sceptica.

Atqui Philosophia Aristotelica ita comparata est. Ergo.
qvid Tu respondere velles? Ego enim non video quid responderi possit?

§. V.

P. Ah! jam de Te aëtum est. Venenum istius hominis jam totum te infecit. Qualis impudentia? Vix absolvimus doctrinam de Prædicabilibus, & tu me jam de universâ Logicâ quâsi examinare vis? Et non erubescis contrâ disciplinam à tot gravissimis viris, qvibus ex quarto præcepto reverentiam debes, tam turpes ineptias proferre? Abi, abi ad Tuum istum Novatorem. Es enim indignissimus, ut responsio tibi ostendatur, qvia eam ipse tu facillimè posses invenire, nisi isto pestilentissimo veneno oculi mentis tuæ jam essent excœcati. Abi inquam, nam ego Te omniñ defero. D. Me miserum! qui bonâ ex intentione dubium proposui, sine causa vapulo. Præceptorem amitto, virum aliâs optimum. Jam quo me vertam nescio.

§. VI.

Cartesianus. Salve adolescens optimæ spei. Audivi omnia qvæ inter Te & Præceptorem aëta sunt. Non despera. Seqvere me. Ego te viam ducam qvâ sclâ ad veritatem itur, qvâ solâ Sceptici efficacissimè refutantur. D. Ago gratias decentes Vir Honoratissime pro benevolè promisso officio. Tu vero quis es? C. Seqvor vestigia acutissimi Cartesii. D. Multa aliâs sed confusè audi vi de istâ Philosophiâ. Nisi grave sit, valde me tibi obstringe res

res, si methodum saltem aperire velles, quā Scepticos aggredi-
tur Cartesius, qvia valdē vereor, ne in Scepticam incidam Philo-
sophiam.

§. VII.

C. Lubentissimè faciam. Initio dubita. D. Benè, sed de qvi-
bus rebus? C. de omnibus. D. At qvomodo dubitare possim v. g.
me tecum jam loqui? C. Cur non? Annon putasti aliquando te
videre baculum curvum in aquâ, qvi tamen fuit rectus? Ita eti-
am poteris dubitare an verum sit qvod me videas. D. Mihi nul-
la videtur consequentia, qvia infers à diversis, aut à particulari
ad universale. Sed transeat. Qvomodo dubitare possim qvod v.
g. habeam manus & pedes? C. Èqvè benè. Annon aliquando pu-
tasti in somno te habere cornua, aut manum esse abscissam? &
tamen res aliter se habuit. D. Ita qvidem est Domine, sed tum dor-
miebam. C. At nescis, utrum dormias an vigiles. Qvoties enim
in somno te putasti vigilare? D. Videris iterum mihi malè à so-
mno ad vigiliam inferre. Nunquam enim vigilans putavi me dor-
mire. Sed transeat & hoc. Qvomodo dubitare possim de certis-
simis qvibusdam axiomatibus v. g. Totum esse majus suâ parte,
aut de veritatibus Mathematicis v. g. bis duo esse quatuor. C. Imo
verò, qvia potest ens aliquod potentius te esse, qvod te & in
his deceperit. D. Atqvi omnis internus assensus hic refragatur, qvi
potius dicitur impossibile esse ut in his & præcedentibus deci-
piar. Qvomodo ergo de illis dubitare possem? C. Non poteris
aliter evadere præjudicia, qvæ in tenerâ juventute contraxisti. Ne-
que dubitabis solum de his omnibus, sed utile quoque erit, ut illa
de qvibus dubitas, habeas pro falsis. D. Sed qvomodo hoc pos-
sem, si ne qvidem dubitare possum? Et qvomodo pro falsis habe-
re possum, de qvibus dubito? Qvia si pro falsis habeo, non dubito
amplius. C. Imò hæc omnia facienda sunt, ut tanto clarius, qvidnam
certissimum & cognitu facillimum sit, inveniamus.

§. VIII.

D. Dic mihi serio Domine. Esne Scepticus an Dogma-
ticus? C. Sum utique Dogmaticus. Expecta saltem, mox audi-
es qvomodo post dubitationem de omnibus per τὸ Cogito,
ergo sum, Scepticos refutem. D. At tu potius expecta paulisper,
ut anteà videam, utrum Sceptico me committam an Dogmatico?

Videris



Videris esse plus quam Scepticus. Initio enim dubitas de omnibus. Idem facit & Scepticus. Deinde ea de quibus dubitas, simul negas. Eò temeritatis ne Scepticus quidem progrediebatur.

§. IX.

C. Confundis dubium Scepticum & Dogmaticum. Illud dubitat, ut semper dubitet: Hoc dubitat ut veritatem inveniat. D. Non confundo. Nego saltēm dubium de omnibus rebus posse referri ad dubia Dogmatica. Qui enim dubitat ut verū inveniat, veri aliqvid presupponit, verum aliqvod dari in quibusdam propositionibus certò perswasus est. Ergo non de omnibus dubitat. Qui vero de omnibus dubitat, quomodo potest dicere se dubitare, ut veritatem inveniat, præprimis si omnia pro falsis habeat? Est enim apertissima contradictione, omnia habere pro falsis ut aliqvid verum esse deprehendam. Et considera quæso: annon methodus tua eò me perducat, ut incipiam Scepticus esse, ut Scepticus esse desinam. Jam si iam sum Scepticus, impossibile est ut supposito hoc principio Dogmaticus sim, quia jam istud commune & indemonstrabile postulatum Dogmaticorum omnium, dari aliqvid verum, eo ipso quo de omnibus dubito, sustuli. Et ut videas te nihil agere posse methodo tua erga Scepticos, assumam in Tui gratiam illud tuum principium. Dubito de omnibus & ea pro falsis habeo, quid tum posteà?

§. X.

C. Atquidum dubitas, tamen cogitas. D. Nescio, quia dubito de omnibus. C. Atqui de hoc non poteris dubitare, quia impossibile est ut, dum dubites, non cogites. D. Fortasse possibile est: quia dum videbam baculum in aqua, cogitabam etiam illum curvum esse. Ergo si una cogitatio me decepit, non est fiducia ponenda in cogitationibus. C. Tamen non poteris non cogitare. D. Sæpe deceptus sum, quod putaverim me nihil cogitasse, & tamen posteà admonitus recordatus sum me cogitationis fuisse oblitum, ergo possum etiam decipi, si putem me cogitare, ut dum hoc puto, non cogitem. C. Infers à diversis. Cogitas utique. D. Fortè. Fortè etiam non, quia poterit aliqvod ens potentius me esse, quod me etiam decipiatur, si putem me cogitare.

re. C. Minimè. Nam fallat me quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut nihil sim, quamdiu me aliquid esse cogitabo.

§. XI.

D. Si Scepticum continuare vellem, saltem perpetuò tibi contradicerem. At satis quidem istam personam sustinui, jam ad me redeo, & regero. Fallat me quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut totum non sit majus suā parte, ut bis duo non sint quatuor, ut ego integer & vigilans non habeam manus ac dedes, ut baculus extrà aquam rectus sit curvus, ut nos jam non loquamur invicem. Ergo non est dubitandum de omnibus. Ergo falsa est tua methodus. Ergo non opus est, ut plusquam Scepticus siam, ea fine ne fiam Scepticus, præprimis cum cum Sceptico planè non sit disputandum, quia hoc æquè frustraneum est, atque, quod communiter profertur, quod Scepticus verberibus erroris sit convincendus, de quo tamen jam quidem differere nolo.

§. XII.

C. Falleris optimè Adolescens, & quantum percipio, mentem meam non rectè percepisti. Qui Mathematici non sunt, non possunt ista percipere bene, forte alio tempore fies ad hæc cognoscenda magis habilis. D. Hoc audivi coramune effugium Dominorum Cartesianorum. Sed hoc indicium malæ causæ est. Misera philosophia, quæ non potest intelligi, nisi ab affeclis. Quæ hactenus differuimus, Mathesin præcedunt, quia jussisti & de veritatibus Mathematicis dubitare. Ego ista Fundamenta Philosophiæ meæ ponam. Malè agit, qui sine firmâ ratione & cum primis veritatibus connexâ quid certò asserit, ut sit in Philosophiâ vulgari. Et malè agit, qui sine justa ratione dñe re aliquâ dubitat, ut sit in Philosophiâ Cartesianâ.

T A N T U M.




00 A 6336



56.

V 3-17
Retro ✓





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Q. F. F. Q. S.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De

RATIONE STATUS

Dissertationem XXI. & XXII.

PROTESTANTIUM STATU, ET
DE JURE EMIGRANDI,

Cum adjuncta Quæstione

An Philosophia communis tam Peri-
patetica quam Cartesiana Dogmatica
sit an Sceptica?

Publicè ventilabunt

Die XXVI. Octobris M DC XCIII. horis antemer. à X. ad
XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,

& Respondens

G O T T F R I E D Schaeuerer/
Servestā Anhaltinus.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

35